



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 154. Vtrum plures species eiusdem, vel diuersæ rationis successiuè
sumptæ causent maiorem gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

quam non contulit in prima sumptione propter indispositionem recipientis. Quarta demum sententia Soti in quarto dist. 12. quæst. 2. art. 1. quem sequitur Vasquez. disp. 203 cap. 2. docet eucharistiam conferre gratiam semel tantum, ac totam simul in ipsa sumptione, non autem post.

8. Dicendum cum quarta sententia: eucharistia gratiam confert solum in ipsa sumptione, ac semel tantum, non autem post. Probatum primo, nam cætera sacramenta semel tantum producant suum effectum, eumque totum simul; ergo etiam eucharistia; sed si produceret suum effectum, non solum in ipsa sumptione, sed etiam post, non produceret suum effectum semel tantum, neque totum simul, sed successiue, ac toto tempore, quò durat species, & sæpius, hoc est quoties addimus novos actus deuotionis; ergo &c. Confirmatur primo. Nam si dicatur, quod eucharistia causat suum effectum toto tempore quo est in stomacho, poterit etiam dici, quod causet suum effectum etiam toto tempore, quò est in ore, & quo deglutitur; sed hoc est falsum, & ab aduersarijs negatur; ergo &c. Confirmatur secundo: nam præsertim, in materia sacramentorum nihil debemus dicere contra sensum communem; sed ante Caietanum scholastici omnes cum S. Thoma dixerunt eucharistiam tribuere suum effectum in ipsa actuali sumptione, ideoque S. Thomas quæst. 80. art. 8. ad 6. dicit, quod maxima deuotio requiritur in sumptione huius sacramenti, quia tunc producit suum effectum; ergo &c.

9. Probatum secundo ex absurdis, quæ sequuntur. Primo sequitur, quod qui sumpsisset eucharistiam indignè, adhuc posset percipere effectum illius, si durante eucharistia in stomacho, per contritionem se disposeret ad effectum recipiendum; sed est absurdum contra sensum communem, quod qui recipit eucharistiam indignè, & sacrilegè, possit percipere fructum illius; ergo &c.

10. Secundo sequitur eum, qui sumpsisset eucharistiam indignè, per se teneri ad procurandam iustificationem toto tempore, quo species sacramentales conseruantur in stomacho, adeoque si non procuraret, perseveraret in actuali sacrilegio. Probatum sequela: eatenus peccat qui sumit eucharistiam indignè, quatenus impedit effectum eucharistia; sed etiam qui post sumptam eucharistiam indignè, si non iustificatur dum conseruantur species sacramentales, impedit effectum, quem eucharistia produceret; ergo perseverat in actuali sacrilegio.

11. Tertio sequitur eucharistiam sumptam in maiori quantitate causare maiorem effectum, quam si sumatur in minori quantitate. Probatum sequela: si enim sumatur in maiori quantitate, diutius conseruatur in stomacho; sed iuxta opinionem Caietani eucharistia, quo diutius conseruatur, eo producit maiorem

gratiam, etiam si non addatur noua dispositio; ergo, iuxta opinionem Caietani eucharistia supra in maiori quantitate confert maiorem gratiam; iuxta sententiam Suarij quo diutius conseruatur, eo producit maiorem gratiam, si addatur noua dispositio; sed ut plurimum fideles post sumptam eucharistiam perseverant in faciendis nouis actibus deuotionis toto tempore, quo species sacramentales conseruantur in stomacho; ergo ut plurimum eucharistia sumpta in maiori quantitate conferret maiorem gratiam.

12. Quarto sequeretur, quod etiam ex dispositione accidentali stomachi, & ex casibus per accidens posset pendere, quod quis acciperet ex opere operato maiorem gratiam, vel minorem. Ex calore enim stomachi, & ex casibus per accidens potest oriri, ut species sacramentales citius, vel tardius corrumpantur; ergo posito, quod quis perseveret in nouis actibus deuotionis, potest etiam ex dispositione stomachi oriri, quod accipiat maiorem gratiam, vel minorem; sed hæc omnia sunt absurda, & contra sensum communem; ergo dicendum, quod eucharistia confert gratiam semel tantum, ac totam simul in actuali sumptione.

13. Obijcies: cibus materialis producit suum effectum nutriendi, ac roborandi corpus, quandiu durat in stomacho; ergo etiam eucharistia producit suum effectum spiritualem gratia, quamdiu durat, & conseruatur in stomacho. Respondeo argumentum nimis probare. Primo enim cibus in ipsa actuali sumptione non nutrit; ergo etiam eucharistia in ipsa actuali sumptione non deberet nutrire, causando gratiam. Secundo cibus causat suum primum effectum nutriendi, postquam est corruptus; ergo etiam eucharistia deberet causare primum effectum gratia post corruptionem specierum sacramentalium. Antecedens probatur: nam cibus nutrit, cum commutatur in substantiam alij; sed tunc iam est corruptus, ac mutatus primo in chylum, secundo in sanguinem &c.; ergo &c. Dicendum igitur, quod eucharistia quia est cibus spiritualis, conuenit cum cibo materiali in hoc, quod sicut cibus non nutrit corpus, nisi sumatur, ita eucharistia non nutrit animam, nisi sumatur: quo ad alia verò multa differt.

QVAESTIO CLIV.

Virum plures species eiusdem, vel diuersæ rationis successiue sumptæ causent maiorem gratiam?

1. **D**Vas sub hoc titulo quæstiones proponimus. Prima est, utrum plures species eiusdem rationis successiue sumptæ conferant maiorem gratiam; ex. gr. utrum si sacre-

sacerdos in eadem Missa sumat plures hostias successiuè vnã post aliam, accipiat maiorem gratiam, quam si sumat vnã hostiam. Secunda quæstio est, vtrum plures species diuersæ rationis conferant maiorem gratiam, quam vna tantum, adeoque vtrum sacerdotes, qui sumunt eucharistiam sub duplici specie, nimirum sub specie panis, ac vini, cæteris paribus, accipiant maiorem gratiam, quam laici latinorum, qui sumunt eucharistiam sub vna tantum specie: & vtrum laici, qui sumunt eucharistiam sub vtraque specie, accipiant maiorem gratiam, quam accipiant, cum illam sumunt sub vnica specie.

2. Quoad primam quæstionem certum est apud omnes, quod cum plures species eiusdem rationis sumuntur pluribus sumptionibus moraliter constituentibus plures communionones, conferunt maiorem gratiam: ex. gr. quod cum sacerdotes die Natalis dominici celebrant tres Missas, ac ter sumunt eucharistiam, procul dubio ter accipiunt gratiam eucharistia, adeoque accipiunt gratiam maiorem, quam si semel tantum eucharistiam sumpserint. Quæritur, vtrum cum species eiusdem rationis sumuntur pluribus sumptionibus, quæ moraliter non constituunt plures communionones, conferant maiorem gratiam; ex. gr. vtrum si sacerdos in eadem Missa sumat successiuè tres hostias, vt sæpè fit ad illas consumendas, accipiat gratiam maiorem quam si vnã tantum sumpserit?

3. Dicendum cum communi sententia, quod cum quis sumit successiuè plures species eiusdem rationis sumptionibus constituentibus moraliter vnã communionem, non accipit gratiam maiorem. Docet hanc sententiam S. Thomas hic quæst. 79. ad tertium dicens. *Vnde nec si aliquis simul in vna Missa multas hostias consecrans sumat, participabit maiorem effectum sacramenti, in pluribus verò missis multiplicatur sacrificij oblatio, & ideo multiplicatur effectus sacrificij, & sacramenti.* Probatur conclusio: nam vnica communicatio semel tantum, ac totum simul confert suum effectum; ergo si plures sumptiones constituent moraliter vnã communionem, non conferunt nouam gratiam. Confirmatur à posteriori ex ablutis. Nam sequeretur, quod vtilius esset sumere hostiam successiuè, ac diuisam, in plura fragmenta, quàm sumere simul, & indiuisam, & sumere sanguinè Christi per plures haustus, quam per vnici haustum. Hinc rejicitur sententia Suarezij, qui consequenter ad sua principia docet, quod accedente noua dispositione, secunda sumptio confert nouam gratiam. Sequeretur enim idem absurdum, quod nimirum cæteris paribus, vtilius esset sumere hostiam diuisam in plura fragmenta, & per plures sumptiones, quam indiuisam, & per vniceam sumptionem.

4. Interitur primò, quod si quis sumens vnã hostiam non recipiat effectum sacramenti propter obicem peccati mortalis, ac

deinde remoto obice per contritionem, vel per confessionem sacramentalem, sumendam hostiam, non recipit effectum sacramenti. Ratio est, quia non potest quis eadem moraliter communionem manducare carnis Domini indignè, adeoque manducare sibi iudicium, & recipere effectum sacramenti, sed si in secunda sumptione reciperet gratiam, reciperet effectum sacramenti eadem moraliter communionem, qua manducasset corpus Domini indignè, adeoque manducasset iudicium, & condemnationem; ergo &c.

5. Secundo inferitur, quod postquam aliquis sumpserit primam hostiam indignè, non tenetur contrariante sumptione secundæ, quia sumptio secundæ est communicatio merè materialis, siquidem non potest amplius producere suum effectum, ideoque cum supponit primam sumptionem, non tam est communicatio, quam consumptio eucharistia, eo pacto, quo in sacramento baptismi ablutio, quæ supponit productum effectum baptismi per anteriorem partem ablutiois, est ablutio merè materialis, ac non producit vllum alium effectum.

6. Quoad secundam partem supponendum primo, quod sumptio eucharistia sub alterutra tantum specie sufficit ad conferendam gratiam. Probatur: nam de fide est speciem panis sufficere; sed eadem est ratio de specie vini; ergo &c. Ratio à priori est, quia sub vnaquaque specie est totus, & integer Christus, qui est fons totius gratia; ergo vtralibet species sufficit ad gratiam conferendam.

7. Supponendum secundò, quod cæteris paribus, gratiam eiusdem rationis, & æqualem confert eucharistia sumpta sub vna specie, ac sumpta sub alterutra; E. C. æqualem gratiam confert eucharistia sumpta seorsim sub specie panis, ac si sumeretur seorsim sub specie vini. Probatur: nam cum totus, & integer Christus sit tum sub specie panis, tum sub specie vini, non est ratio, cur diuersam, vel maiorem gratiam conferat sub vna specie, quam sub altera.

8. His præsuppositis, dubitatur vtrum eucharistia conferat maiorem gratiam sumptam sub vtraque specie, quam sub altera tantum, adeoque vtrum sacerdotes, qui sumunt eucharistiam sub vtraque specie, cæteris paribus accipiant maiorem gratiam, quam laici latinorum, qui sumunt illam solum sub speciebus panis.

9. Duæ sunt sententiæ. Prima Alexandri in 4. qu. 11. membro 2. art. 5. parte 3. ad 2. & aliorum, quos refert, & sequitur Vasquez disp. 215. cap. 2. docet eucharistiam conferre maiorem gratiam sub vtraque specie, quam sub altera tantum. Fundamentum præcipuum est, quia sacramentum eucharistia est institutum per modum integri conuiuii continentis cibum, & potum; sed diuersa est refectio, quæ causatur à cibo; ab ea, quæ causatur à potu; ergo

ergo eucharistia sub specie panis, ac cibi tribuit vnam gratiam, & aliam gratiam tribuit sub specie potus, ac vini.

10. Secunda sententia communior antiquorum, & recentiorum, ac S. Thomæ opusculo 58. cap. 26. sub finem, quam etiam insinuat tertia parte, qu. 80. art. 12. ad 3. S. Bonaventuræ, Richardi, Gabrielis, Caietani, Dominici, Soti, Ledesma, Roffensis, Hosii, Bellarmini, Alfonsi de Castro, Suarij hic disp. 66. lect. 6. & aliorum, præsertim qui scripserunt contra hæreticos nostri temporis, docet eucharistiam non conferre maiorem gratiam sub vtraque, quam sub altera tantum specie, & hanc sententiã existimo probabiliorẽ.

11. Probatur: nam eucharistia ex dictis num. 3. sumpta sub pluribus speciebus eiusdem rationis non confert maiorem gratiam; ergo neque sub pluribus speciebus diuersæ rationis. Probatur consequentia. Nam ideo eucharistia sumpta sub pluribus speciebus eiusdem rationis, ex gr. sub pluribus hostijs, non confert maiorem gratiam, quia sub vnaquaque specie eiusdem rationis continetur totus, & integer Christus; sed etiam sub vnaquaque specie diuersæ rationis continetur totus, & integer Christus: nam sub specie panis non solum continetur corpus Christi, sed etiam sanguis, sub specie vini non solum, continetur sanguis Christi, sed etiam corpus; ergo &c.

12. Confirmatur primò, & simul retorquetur fundamentum præcipuum sententiæ contrariæ. Nam ideo cibus, & potus materialis tribuunt diuersam refectionem corpori, quia in cibo non continetur potus, & in potu non continetur cibus; immò, quia vna pars cibi non continet aliam, & vna pars potus non continet aliam, ideo plures, & plures partes cibi, plures, & plures partes potus successiuè sumptæ tribuunt corpori nouam, & nouam refectionem; sed in eucharistia sub specie panis, ac cibi, non solum continetur caro Christi, quæ verè est cibus, sed etiam sanguis Christi, qui verè est potus; sub specie vini, ac potus non solum continetur sanguis Christi, qui verè est potus, sed etiã caro Christi quæ est cibus spiritualis animæ; ergo eucharistia sub specie cibi debet tribuere refectionem non solum cibi, sed etiam potus; sub specie potus debet tribuere refectionem non solum potus, sed etiam cibi; ergo licet eucharistia sit instituta per modum integri conuiuij continentis cibum, & potum, tamen quia sub vnaquaque specie continetur cibus, & potus, hoc est caro, & sanguis Christi, sub vnaquaque specie continetur integrum conuiuium, adeoque quælibet species seorsim, confert refectionem, & gratiam integri conuiuij spiritualis.

13. Confirmatur secundò: nam Concilium Tridentinum sess. 21. capite tertio dicit: *in super declarat, quamvis redemptor noster, vt antea dictum est, in suprema cena hoc sacramentum sub*

duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ac propterea quod ad fruendum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt; ergo concilium ex eo, quod sub altera tantum specie contineatur totus, & integer Christus, infert eos, qui sumunt Eucharistiam sub vna tantum specie, non defraudari vlla gratia necessaria ad salutem; sed ex eo, quod sub vna tantum specie contineatur totus, & integer Christus, legitime etiam infertur, quod qui accipiunt Eucharistiam non defraudantur vlla omnino gratia: cum enim nihil plus sumatur sub duabus speciebus, quàm sub vna tantum, non debet conferri maior gratia sub duabus speciebus, quàm sub vna tantum; ergo &c.

14. Confirmatur tertio: nam ex opposita sententia sequitur, quod Ecclesia interdicens non sacerdotibus communionem sub vtraque specie, omnes non sacerdotes in perpetuum priuauerit dimidio gratiæ Eucharistiæ, atque illa refectione, quæ confertur per modum potus, quod videtur valde durum.

15. Opponitur primò. Frustra eucharistia esset instituta sub duplici specie, si sub vna tantum conferret totum suum effectum. Respondet, negando antecedens. Primò enim eucharistia est instituta ad representandam, mortem Christi; sed per hoc, quod seorsim consecratur corpus, seorsim sanguis, representatur separatio sanguinis à corpore facta in passione, & morte Christi, vt explicabitur infra, cum agemus de Eucharistia, in quantum est sacrificiũ; ergo. Secundò eucharistia est sacramentum conferens refectionem spiritualem per modum integri conuiuij continentis cibum, & potum; sed integrum conuiuium continens cibum, & potum expressius significatur sub duplici specie panis, ac vini, quam sub vnica specie; ergo &c. Quia tamen sub vnica specie panis continetur non solum caro Christi, qui est cibus, sed etiam sanguis Christi, qui est potus, & è conuerso, ideo sub vnica specie sumitur cibus, & potus, adeoque totum conuiuium, & tota spiritualis refectio.

16. Opponitur secundò: sacramenta conferunt illum solum effectum, quem significant; sed Eucharistia sub specie panis significat solam refectionem per modum cibi, sub specie vini significat solam refectionem per modum potus; ergo eucharistia sub specie panis confert solam refectionem per modum cibi, non autem per modum potus; sub specie vini confert solam refectionem per modum potus, nõ autem per modum cibi, adeoque diuersam gratiam confert sub specie panis, ac sub specie vini.

Respondeo, distinguo minorem: eucharistia sub specie panis immediate significat solam refectionem per modum cibi, sed mediatè significat etiam refectionem per modum potus, concedo minorem; immediate signi-

significat solam refectiōem per modum cibi, ac mediātē non significat refectiōem per modum potus, nego minorem; & nego cōsequentiā. Eucharistia sub specie panis immediātē significat solū corpus Christi, qui est cibus, iuxta illud Ioannis 6. *caro mea verē est cibus*, ideoque immediātē significat solam refectiōem per modum cibi: quia tamē corpus Christi in eucharistia est simul cum sanguine, ideo eucharistia mediātē significat etiam sanguinem; sed sanguis Christi verē est potus; ergo eucharistia sub specie panis mediātē significat etiam potum spirituale, adeoque refectiōem per modum potus; sed eucharistia sub specie panis causat totum effectum, quem significat, non solū immediātē, sed etiam mediātē; ergo eucharistia sub specie panis non solū causat refectiōem per modum cibi, sed etiam per modum potus, adeoque causat refectiōem integri conuiuij: & ex proportionali ratione eucharistia si sumeretur solū sub specie vini, causaret refectiōem etiam per modum cibi.

17. Opponitur tertio: Clemens VI. in quadam bulla edita anno 1341. concessit Regi Angliæ, vt ad augmentum gratiæ communicaret sub vtraque specie: ergo existimauit communionem sub vtraque specie conferre augmentum gratiæ.

Respondeo Pontificem concessisse Regi Angliæ communionem sub vtraque specie ad augmentum gratiæ, non quia existimaret, communionem sub vtraque specie, supposita æquali deuotione, ac dispositione subiecti, conferre maiorem gratiam, quā communionem sub vna tantū specie, sed quia sperabat Regem Angliæ, obtento priuilegio cōmunicandi sub vtraque specie, sumpturum eucharistiam cum maiori deuotione, adeoque recepturum maiorem gratiam ex opere operato; siquidem sacramēta conferunt gratiam etiam ex opere operato maiorem, aut minorem iuxta maiorem, aut minorem deuotionem, ac dispositionem recipientis.

18. Infertur primò, quod qui suscipit eucharistiam sub specie panis, ac deindē suscipit eandem sub specie vini, etiam si addat nouos, & maiores actus deuotionis, non accipit nouum effectum sacramenti. Ratio est, quia sumendo eucharistiam sub specie panis, iam recipit totum effectum sacramenti; sed eucharistia in eadem moraliter communionē confert suum effectum semel tantum, ac totum simul iuxta mēsuram dispositionis, quæ ponitur antecedenter, & simultaneē, non autem iuxta mēsuram dispositionis, quæ ponitur post; ergo &c.

19. Infertur secundò, quod si sacerdos postquā recepit eucharistiam sub specie panis sacrilegē, adeoque sine effectū, iustificatur per contritionem, ac deindē recipiat eandem eucharistiam sub specie vini, non recipit vllum effectum eucharistiæ. Ratio est, quia non potest in eadem moraliter communionē

manducare sibi iudicium, & recipere gratiam sacramentalem.

QVAESTIO CLV.

Virum adeptio gloriæ sit effectus eucharistiæ.
Proponitur doctrina S. Thomæ.

S. Thomas qu. 79. art. 2.

1. **R**espondet S. Thomas adeptiōem vitæ æternæ esse effectum eucharistiæ. Probat primò: nam Ioannis 6. dicitur, *si quis manducauerit ex hoc pane viuēt in æternum*; sed vita æterna est vita gloriæ; ergo. Probat secundò: nam in hoc sacramento quatuor possunt considerari: primò Christus, qui realiter est in eucharistia; secundò passio Christi, quæ per eucharistiam representatur; tertio vñus sacramenti, qui consistit in eo, vt sumatur per modum cibi, & potus; quartò demum species panis, & vini: sed hæc omnia causant adeptiōem gloriæ; ergo &c. Probat minor: nam primò Christus per suam passiōem aperuit nobis aditum vitæ æternæ, iuxta illud Apostoli ad hebræos 9. *noni testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt accipiant repromissionem vitæ æternæ*; ergo Christus etiam prout existens in sacramento eucharistiæ, per suam passiōem in sacramento representatam causat nobis adeptiōem vitæ æternæ, & cælestis hereditatis, cuius testamentum nouum est dispositio; ideoque in forma consecrationis sanguinis dicitur: *hic est calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti*. Secundò vñus, quo sumitur sacramentum eucharistiæ per modum cibi, significat, & causat refectiōem spirituale; species panis, & vini significant, & causant vnitatem; sed refectio, & vnitatis spiritualis imperfectè solū habentur in hac vita mortali, perfectè autem habentur solū in vita æterna, vbi amplius non esuriemus, neque sitiemus, & perfectè, ac inseparabiliter vniemur Christo; ergo &c. Confirmat ex quodam testimonio Augustini tract. 5. in Ioannem.

2. Sicut passio Christi est quidem causa sufficiens gloriæ, sed non causat illam statim, sed oportet, vt prius compatiamur Christo, vt deinde cum Christo glorificemur; sic eucharistia est causa gloriæ, sed non statim gloriam causat, sed oportet, vt prius progrediamur ad gloriam, deinde illam consequamur, ideoque

3. Regum 19. de Elia dicitur, *quod comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb*.

3. Opponit secundò. Posita causa sufficienti, ponitur effectus; sed multi suscipientes eucharistiam non adipiscuntur gloriam; ergo &c.

Respondet, quod aliquando posita causa sufficienti, non ponitur effectus propter indispositionē subiecti, vt patet: nā procul dubio passio Christi est causa sufficientissima gloriæ, & tamen multi non adipiscuntur gloriam ex defectu ipsorum. Non est ergo mirum, quod licet eucharistia ex se sit causa gloriæ, tamen